



## Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,  
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi  
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina  
Septentrionis Regna**

**Adamus <Bremensis>**

**Helmetadi[i], 1670**

VII. Recapitulatio eorum, quae ab Adamo prolixius sunt memorata, ex  
Annalibus Auctoris incerti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11096**

Ex annalibus incerti  
 AUCTORIS, A LINDENBROGIO  
 editis, & circiter annum Domini 1288 con-  
 scriptis, brevis quasi repetitio eorum,  
 quæ ab Adamo sunt prolixius  
 memorata.

Pag. 280.  
 edit. Fran-  
 cof. 1609.

**A**nno **DCCLXXXVIII.** fundata est Ecclesia Bre-  
 mensis & ibidem Episcopus constituitur VVillehadus,  
 & duobus annis sedit.

Anno **DCCXCVII.** Karolus venit in locum Albia, qui  
 ab eodem ejus adventu Karlessandt dicitur. VVillericus in  
 Brema fit Episcopus & sedit annis **L.**

Anno **DCCCX.** fundata est Ecclesia Hammenburgensis.

Anno **DCCCXV.** Lodevvicus Karoli filius regnat.  
 Beatus Anscharius claruit.

Anno **DCCCXXXIII.** Anscharius Hammenbur-  
 gensis Ecclesie Archiepiscopus ordinatur, & ibidem metro-  
 polis omnium aquilonarium regionum constituitur.

Anno **DCCCXL.** Normanni Hamburg cremaverunt  
 omnibus consumtis, & Anscharius vix evasit.

Anno **DCCCXLI.** Lodevvicus filius Lodevvici regna-  
 vit **XXXVI.** annis, & fratres quatuor regnum dividerunt. Lo-  
 tharius cum nomine Imperatoris possedit Italiam, Lothevvi-  
 cus Germaniam, Pipinus Aquitaniam, Karolus Galliam.  
 Anscharius Ramensloensem fundavit Ecclesiam, in posses-  
 sione cujusdam matrone.

Anno

Anno **DCCCXLIV**. Leudericus Bremensis Ecclesie Episcopus obiit. Ansharius ei successit. Nam Nicolaus Papa Bremensem Ecclesiam à Coloniensi exemit, & eam cum Hammenburgensi adunavit, ibique Ansharius annis **XVIII**. sedit. In Hammenburch autem **XVI**. annis. Statim Ansharius Slesvvic fundavit, & multos Danorum convertit.

Anno **DCCCLV**. Beatus Ansharius obiit, qui annis **XVII**. post compositionem suam & Bremensis Ecclesie vixit. Reimbertus Diaconus ejus successit.

Anno **DCCCIII**. Slavi Hammenburgensem Parochiam destruxerunt.

Anno **DCCCVI**. Otto magnus filius Henrici regnat. Vnni Archiepiscopus obiit, cui Adeldagus successit.

Anno **DCCCCLXI**. Otto rex coronatur Romæ à Leone Papa in Imperatorem, Adeldagus Episcopus rediens de Italia, Benedictum Papam ab Ottone depulsum secum duxit, qui in Hammaborch permansit. Qui cum esset Romanis possentibus reducendus, apud Hammaborch in pace quierit, **IV**. Nonas Iulij.

Anno **DCCCCLXXVIII**. Adeldagus Archiepiscopus obiit. Cui successit Libentius.

Anno **M. I**. fundata est Ecclesia Hersefeldensis à Comite Henrico.

Anno **MXIII**. Libentius Archiepiscopus obiit. Cui Unvvanus successit, qui Ecclesiam Hammenburgensem penitus desolatam renovavit, & Canonicis ibidem instituit.

Anno

s. Nepos  
 hic fuit al-  
 terius Li-  
 ben. II.  
 Vide supra  
 pag. 73.

Anno MXXXII. Libentius Archiepiscopus obiit, cui  
 Hermannus successit, & vix sedit tribus annis.

Anno MXXXV. Hermannus Archiepiscopus obiit;  
 cui Bezelinus cognomento Alabrandus successit.

Anno MLI. Albertus Archiepiscopus fundavit Ec-  
 clesiam B. Pauli juxta Bremam de bonis que hospitali per-  
 tinebant. Item Sanctorum VVillehadi & Stephani in Sul-  
 lenberghe, cujus fundamenti vestigia adhuc apparent in  
 eodem monte.

Anno M.LXVIII. Albertus Archiepiscopus curie Im-  
 periali, a qua alienatus fuerat, restitutus, Archiepiscopatu  
 suo, duodecim Episcopatus facere disposuit, absque hiis, quos  
 in Dacia habuit. Primum in Palmis, II. in Hilegenstat,  
 III. in Racisborch, IV. in Haldenborch, V. in Mikelen-  
 borch, VI. in Stadio, VII. in Lismona, IIX. in VVildes-  
 hufen, IX. in Brema, X. in Verda, XI. in Ramsola, XII.  
 in Fresia. Sed in Hammaborch Patriarchatum efficere  
 cogitabat.

Anno M.LXXVI. Albertus Archiepiscopus obiit;  
 cui Liemarus de Bavaria successit. Item Hammaborch  
 incensa & vastata est, & Pagani Nordalbin-  
 giam libere possederunt.



INDEX